Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8171
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

De officio archidiaconi

Inhibemus episcopis archidiaconis prelatis atque eorum officialibus vniuersis sub pena suspensionis quam in omnibus facientibus contrarium promulgamus ne subditis suis aut eis qui litigant seu litigauerint coram eis aliquam faciant inhibitionem seu impedimentum aliquod prestent sub quocunque colore vel modo publice vel occulte quominus causas suas appellationum seu querelarum alias ad examen superioris spectantes libere possint deferre

De officio vicarii

Et quia ecclesiarum rectores vicariis suis adeo relinquunt exiguam porcionem quod ex ea nequeunt sustentari generali concilio inherentes statuimus ut ipsis vicariis sufficiens et honesta porcio de prouentibus ecclesie assignetur. Alioquin ipsi rectores si moniti non assignauerint suis poterint beneficiis spoliari. Nullus quoque sub pena suspensionis ab officio intytulatus ad curam animarum vicariam perpetuam vel temporalem plus beneficii assumere presumat

De officio delegati

Adhec plerumque contingit quod iudices delegati seu subdelegati ad quos simplices commissiones sub forma communi diriguntur ultra quam patiantur iuris rescripta procedentes terras ciuitates oppida et villas ecclesiastico subiciunt interdicto inuoluentes etiam